



## Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

141. Parabola secunda, Seminantis semen, quod cecidit secus viam, supra  
petram, in spinas, in terram bonam.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



tâstis; lamentavimus, & non planxistis.  
*Matth. 11. v. 16. & 17. Luc. 7. v. 31. 32.*

II. Venit enim Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicunt: dæmonium habet. *Matth. 11. v. 18. Luc. 7. v. 33.*

III. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. *Matth. 11. v. 19. Luc. 7. vers. 34. & 35.*

## MEDITATIO CXLI.

*Parabola II. Seminantis semen, quod cecidit secus viam, supra petram, in spinas, in terram bonam.*

I. **I**N illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet in mari: & omnis turba stabat in littore: & locutus est eis multa in parabolis, dicens illis in doctrina sua: Audite: Ecce exijt, qui seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. *Matth. 13. v. 1. 2. 3. 4. Marc. 4. v. 1. 2. 3. 4.*

II. Alia



II. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaverunt : & quia non habebant radicem, aruerunt. *Matthæi 13. v. 7. Marc. 4. v. 7.*

III. Alia autem ceciderunt in terrā bonā : & dabant fructū, aliud centesimū, aliud sexagesimū, aliud trigesimū. Et dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat. *Mat. 13. v. 8. & 9. Marc. 4. v. 8. & 9. Hanc eandem parabolam refert Lucas cap. 8. à v. 4. usque ad 16.*

## MEDITATIO CXLII.

*Cur Christus locutus sit in parabolis ?*

I. **C**um esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam, *Marc. 4. v. 10.* & accedentes dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis ? Qui respondens, ait illis : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem, qui foris sunt, non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit ; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. *Matth. 13. Vers. 10. 11. 12. Marc. 4. Vers. 11.*

II. Ideo in parabolis loquor eis : quia videntes non vident, & audientes non audiunt,